



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

323. Coadiutoria an pariat affectionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

penſatum ſit. Similiter, ſi poſt obtentam Coadjutoriam Coadjutor aſſequatur beneficium tale cum ea incompatibile, exſpirat Coadjutoria; & non poteſt vi illius in beneficio Coadjuti ſuccedere. Garcias, Tondutus, Caſtropalao *ll. cit.* Unde jam etiam in Bulla Coadjutoriali debent ſub pœna nullitatis exprimi alia beneficia, quæ Coadjutor habet, & viciffim in aliis proviſionibus aliorum beneficiorum exprimenda eſt Coadjutoria. Remouch. *loc. cit. n. 36.* citans Barboſ ad Trident. ſeſſ. 25. c. 7. n. 41. de quo infra pluribus. Ad rationem verò illam in contrarium adductam ex Gonz. dicit Garc. *loc. cit. n. 57.* illam deſervituram & reſidentiam Coadjutoris eſſe præciſam, & illum ad eam compelli poſſe; quia ipſe ſe obligavit & conſenſit tali obligationi. Sed de onere reſidenti & deſervendi Coadjutoris infra. Quæ contra hæc obmoveri poſſent ex non vacatione beneficii propter aſſectionem alterius incompatibilis, quamdiu iſtus primi adepti non eſt realis & fruſtuofa poſſeſſio; hæc inquam, vide ſoluta inferius, ubi de expiratione Coadjutoria.

*Quæſtio 322. An Coadjutoria pariat privilegium fori?*

**R**eſpond. Coadjutor carens omni beneficio, & ſolum etiam primam tonsuram habens, gaudet privilegio fori, modò habitum & tonsuram clericalem deſerat, & inferviat eccleſiæ ( uti hæc requirit Trident. ſeſſ. 23. c. 6. ad hoc, ut clerici in minoribus ſolum conſtituti, nullum beneficium Ecclieſiaſticum habentes fruantur privilegio fori. Cardin. de Luca ad Trident. d. 24. n. 11.) Garc. p. 4. c. 5. n. 97. & 98. Barboſ. de can. & dignit. c. 29. n. 42. citans plures alios, Caſtrop. *tract. 13. d. 1. p. 10. n. 21.* Remouch. *cit. c. 12. n. 33.* Cardin. de Luca *loc. cit. n. 15.* Coadjutoria enim ad hunc effectum æquipollent beneficio. Carol. de Luca ad Ventrigl. annot. 13. tom. 2. n. 2. & Coadjutor receptus ad adminiſtrationem dicitur filius Eccleſiæ titularus. Remouch. *cit. c. 12. n. 37.* Secus tamen eſt & non gaudebit privilegio fori, ſi non inferviat Eccleſiæ; quia Coadjutoria non eſt beneficium ecclieſiaſticum. Garc. *loc. cit.*

*Quæſtio 323. Coadjutoria num pariat affectionem: ſive an, ſi præmoriatur Coadjutor: beneficium remaneat affectum Papa, quò minus ab Ordinario aliàs illius collatore provideri nequeat, Coadjuto moriente in menſe Ordinarit.*

**R**eſpondet negativè Lotter. l. 2. q. 25. n. 31. (ceteri n. 33. dicat, per conſeſſionem Coadjutoria intrate reſervationem ſeu affectionem ad favorem Coadjutoris) Ventrigl. tom. 2. annot. 3. n. 55. citantes pro hoc Garciam p. 5. c. 1. n. 174. ubi tamen is potius inclinat in contrarium cum Pureo, quem citat *decis. 226. n. 14. l. 3.* & expreſſè addit: *idem videtur* ( nempe quòd ex datione Coadjutoria naſcatur affectio) quando Coadjutoria eſſet ſubreptitia ſeu invalida, & ſic non haberet locum futura ſucceſſio, quæ eſt acceſſoria ad Coadjutoriam. pro quo etiam citat Mandol. de ſignat. grat. tit. de Coadjut. verſ. Coadjutoria habebat. & Put. *decis. 98. l. 2.* contra Carol. de Luca ad Ventrigl. *loc. cit. n. 5.* Tondutum qq. benef. p. 2. c. 3. §. 1. n. 7. ubi expreſſè: per deputationem Coadjutoris cum futura ſucceſſione affectio beneficii inducitur, quamvis

Coadjutus decederet, antequam Coadjutor literas intromiſſet, vel Coadjutoris officium exercere caſiſſet; tunc enim ex tali manus appoſitione beneficium ita cenſetur affectum, ut illud nullus inferior conferre poſſit. citat pro hoc Rotam. *decis. 570. n. 2. p. 1. recent.* & in ea plures pro hac ſententia allegari ait, vide à nobis dicta ſupra. *quæſt. 313.*

*Quæſtio 324. Quale jus Coadjutoria conferat Coadjutori?*

**R**eſpond. præter plura ſparſa de hoc in antecedentibus, Coadjutori vivente Coadjuto per Coadjutoriam jus nullum quaritur in beneficio, reſpectu cujus eſt Coadjutor, neque reſpectu tituli, ſed tantum jus quoddam noviter creatum circa facultatem coadjuvandi; & ipſum ſimplex officium penitus à beneficio diſtinctum, nec quidpiam aliud aut obtinere aut poſſidere ex propria perſona cenſetur. Lotterius l. 2. q. 25. n. 30. ſic quoque ait Tondutus. p. 3. c. 194. n. 2. ait: Coadjutor in vita Coadjuti non habet in Episcopatu jus in re, ſed ſolum jus ad rem, quod jus ad rem licet ſit conſiderabile quòd diſpoſitiones facientes mentionem de jure quaſito non tollendo, ut Gonz. gl. 5. §. 9. n. 79. non tamen eſt tale jus, quòd operetur, ut beneficium dicatur ſpectare ad Coadjutorem. & n. 3. ſubdit: Coadjutor quidem habet jus in officio Coadjutoris, ſed non in beneficio. Fagn. in c. ex parte. de cler. agrot. n. 6. ubi: per hujusmodi gratiam præventivam acquiritur Coadjutori in beneficio jus ad rem, quòd eventiente vacatione per obitum Coadjuti efficitur jus plenum, adeo, ut non requiratur pro Coadjutore nova collatio, ſed abſque aliquo miniſterio gratia Coadjutoria ex primo jure ſibi conſeſſo effectum ſortitur; cum Papa in iſtis Coadjutoris ex nunc pro ut ex tunc faciat collationem juxta deciſionem Rotæ in Tirafon. Coadjutoria 8. Novemb. 1599. coram Penia, quam verboſius recitat Garcias p. 4. c. 5. n. 138. Plus aliquid velle dicere videtur Remouch. etiam quòd ad rem ipſam plus non dicat, c. 12. d. n. 2. ubi ait: quidam etiam Coadjutoria talis conſeſſat jus in re, ſi effectus conſideretur. Cum enim ratio, cur præſentatio, electio, &c. dent jus dumtaxat ad rem, in eo conſiſtit, quòd procedant à perſonis inhabilibus vel non conſtitutis in dignitate; ſeu quibus non competit facultas conferendæ canonice institutionis; uti &, quòd poſt ejuſmodi actum deſideretur alius actus, nempe institutio, confirmatio; gratia autem Coadjutorialis procedat à Papa, penes quem ſtat plenitudo juris can. nec ſit opus ulla alia proviſione poſt obitum Coadjuti, videtur acquiri Coadjutori jus in re. Ac denique n. 4. addit: quidquid ſit, licet non producat jus in re verum ſeu propriè, propter particulas: *ex nunc pro ut ex tunc;* certum tamen eſt producere titulum præventivum ſeu habitualem & initiale, proindeque jus in re fictum operatum plenus effectus demum per ceſſum vel deceſſum Prælati, & ſic videatur beneficium ecclieſiaſticum ſecundum quid.

*Quæſtio 325. Effectus alii Coadjutoria quinam ſint?*

**R**eſpond. Ceterorum effectuum, quos parit Coadjutoria, nomine venire poſſunt, Coadjutoris obligatio, potestas, juridiſictio, præſeſſentia, jura aliave emolumenta, de quorum ſingulis ſub ſpecialibus titulis in ſequentibus,